



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An reprehendantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Iosephus
quomodo
Pater.

filius Dei, passionis suae tempore ligno affixus, videns Mariam, secundum carnem suam, & Ioannem dilectissimum discipulum, ad illum quidem dicit, Ecce mater tua: ad Mariam autem, Ecce filius tuus, studium debitum erga parentes docens. Et quod apud Lucam dictum est, oblique dissoluens: Et exant Pater eius & mater admirantes. Quod torquent haeretici, quasi ex viro & muliere natus sit: cum tamen, sicut Maria mater Ioannis propter dilectionem, & non propter generationem: Ita Ioseph Pater Iesu, propter curam, vel dilectionem vocatus est, non propter generationem: non enim cognouerat ipsam, inquit Euangelium, donec peperit Filium suum primogenitum: sed propter curam, quam in alendo praestabat.

Verum Lucas, & ipsa Virgo sic loquuntur, quia communis erat opinio. Cum enim de Christi generatione nihil tum populo constaret, non potuit existimari alius Pater filii, quam maritus.

VERSUS 49.

Et ait ad illos, Quid est quod me querebatis? nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse.

QUESTIO I.

An reprehendantur?

§. 1. **C**alvinus merito reprehendi autumat, ex quo consequitur peccasse. Alii reprehensionis specie eos docere, non enim scire poterant, quod nescisse eos ait, Eum oportuisse in templo cum doctores disserere, & legationis quaedam fundamenta ponere.

§. 2. Verba ipsa reprehensionem non habent, sed ex sono pronunciantis, & vultu de illis iudicandum est. Christum amica voce, & sereno vultu respondisse, non superbe, non *ὀυδ' ὀργισμένος* & toruē certo tenendū est. Si verba ipsa spectemus esse possunt increpantis, & consolantis, seu blandientis. Increpantis vel ad arguendum, vel incitandum, ut ad negocia Patris celestis consideranda cresceret parentum feruor; increpamus enim etiam innocentem, acuendo industriam, non exprobrando culpam. Talis esse potuit Christi responso hortantis, nullo modo reprehendentis.

Christi aetas, obedientia, parentum dolor, innocentia, amor, ostendunt haec verba consolatoria fuisse. Quid opus erat o parentes, ut tanto me dolore quareretis? Nesciebatis mihi maius onus impositum, oportere me esse in his quae sunt Patris: Omnino nesciebatis, nunquam enim vos hunc in modum deterui: Talia sunt Elcanaz verba 1. Reg. 1. 8. *Anna cur stes?*

Improbē itaque & peruerse in deteriorem sensum verba Christi Calvinus detorquet. [Merito, inquit, matrem reprehendit Christus: quamquam id parē & oblique facit. Summa est, officium quod Deo Patri suo debet, omnibus humanis obsequiis longē praefertendum esse. Perperam igitur facere terrenos parentes, quibus dolet se neglectos fuisse pra Deo.]

Atque hinc colligenda est generalis doctrina. Cum enim verba consolantis, & instruētis esse possint, non est cur fingat esse increpantis. Sensus est enim, vos me magna charitate & dolore querebatis, sed causa querendi nulla fuit. Non enim oportuit me vobiscum redire, sed manere Ierololymis. Hoc vos scilicet ignorabatis: Ideo me quaesistis, quod necesse non fuit. Cum autem ignorantia illa sine vlla non modo culpa fuerit, sed etiam specie culpae, Christo sequitiam iniputant, qui ignorantiam matris immerito reprehendit. Christi

anno duodecimo clam parentibus in templo mansurum, disputaturum, in negociis Patris futurum, nec poterant, nec debebant scire. Quis enim illis peruenit?

QUESTIO II.

Quae negocia Patris?

§. 1. **G**raecus textus habet *ἐν τοῖς ἔργοις τοῦ πατρὸς*. Quod duplici modo exponi potest: Nam & indicare potest, negocia Patris sibi peragenda, & in loco qui Patris est, hoc est, in templo sibi manendū fuisse. Posteriores sensum Syriacus interpres secutus est, *In domo Patris mei*. Eadem in sententia est Euthymius. Sed melior est prior sensus; iam enim specimen daturus oeconomiae suae, redemptionem hominum a Patre sibi commissam incepit. De doctrina igitur & officio suo intelligit, & Patris celestis negocia eorum praetiae anteponenda respondet.

QUESTIO III.

An Christus non sit liber, quia oportuit eum esse in his quae sunt Patris?

§. 1. **D**ilectione oportuit, Pareus virget, l. 5. de iustif. & omnino negat Christum fuisse indifferenterem ad parendum praeepto, vel non parendum. *Contra impium & veriginosum*, id appellat. Bellarminus docet, negat. Ex visione beata Deum necessario dilexisse, ex habitudine charitatis liberē. Meruisse ut viatorem, hac ex viuitate liberē elegisse mortem. Deinde necessitatem externam qua Deus dirigit per gratiam, non impedit libertatem. Denique voluntatem humanam absolute consideratam potuisse peccare, Christum hominem non potuisse, quia homo includit hypostasin.

§. 2. Pareus obiicit. [Si interna necessitas, non externa tollit meritum: falsum ergo est quod l. 5. de gratia & l. arb. c. 5. docuit. Liberum arbitrium non modo impediti necessitate coactionis, sed etiam omnino necessitate.] Vera est illa Bellarmini doctrina, nec contraria est, quod de iustif. l. 5. c. 11. dicit. *Necessitas interna est, cum ipsa potentia naturaliter determinata est vnum; vel cum obiectum eam ex necessitate determinat, & hac necessitas impedit libertatem, ac per hoc meriti rationem.* Necessitas externa est, cum remanet in voluntate vera indifferentia, & ipsa interminatio ad vtrumlibet, sed tamen fieri non potest, ut debeat non seruare praeeptum, quoniam virgetur & gubernatur a Deo, qui semper illi obijcit ea media ad non peccandum, qua meriti rationem, & talis fuit non solum in Christo, sed etiam in iis, qui dicuntur confirmari in gratia.

Hic non quamuis necessitatem vocat Bellarminus, sed potius infallibilitatem, qua a Deo homo dirigitur, & accipit gratiam opportuno loco, tempore.

§. 3. Quoniam vero impiae haerese, iam eo denuerunt ut etiam Christo liberum arbitrium abdicaret, paulo pluribus de hoc agendum est. Quia ex eo quod dicit, oportet, omnia Christi facta immutabili necessitate subiiciunt, meritumque tollunt. Atque ea ratione ad Monothelitas accedunt, qui humanam voluntatem in Christo negabant. Sed Christi libertatem asserunt S. Patres. Bas. in 11. 7. Hier. in 11. 53. Cyrill. l. 1. in ill. orat. 4. Chrys. hom. 59. in Ioan. Ratio vero est: humana natura cum ratione utatur & consilio, est libera, & independens. Christus autem humanam naturam, ideoque rationem & voluntatem suscepit. Ideoque & liber fuit, & necessitate calcata mortem subiit, nosque moriendo redemit.

§. 4. Liber fuit non modo a coactione, sed etiam a necessitate. Vbi enim est necessitas, ibi nec corona, id est liberum arbitrij nos condidit Deus.

Hier. lib. 2. contra Iovinianum. Et Iren. lib. 4. c. 71.